



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 101. Ecce filius homini tradetur in manus peccatorum. v. 41.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

etus esse se fiantos, sed frāno rationis & fidei compescendos. Accepto libenter, Domine, Regulam hanc tuam, iusta & sancta est. Utinam omnes eam obseruarent, & sibi dicerent: Hora est loquendi & hora tacendi: hora psallendi, & hora à psalmis conticefcendi. Omnia tempus habent. Sed inter omnes Horas mundi eximiē felix fuit illa qua Dominus noster pro nobis salutem operatus est. Infelix vero illa qua homo in peccatum lapsus est vel labetur. O Domine auerte hanc horam à me & cunctis hominibus tuis.

§. 101. Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. v. 41.

Lucæ 18. & Marci 18. paulo ante passionem cum Christus assumptis duodecim secum discipulis dixerat: Ecce ascendimus ierosolymam, & consumabuntur omnia que scripta sunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur & conspuetur & postquam flagellauerint, occident eum, & tercia die resurget, & ipsi nihil horam intellexerunt, dicit Euangelista: quod tunc dixit futurum. hoc nunc oculis videndum demonstrat, dicens: Ecce, sic uti igitur, in ista hora verificatum fuit quod prædictum erat, de Dominica passione, ita etiam certissime verificabitur, quicquid de nostro iudicio & vel saluatione, si digni fuerimus, vel condemnatione, si indigni fuerimus est prophetatum.

**A**doro laudo & glorifico te, benedico & gratias ago tibi, Domine Iesu, pro universis miserationibus & beneficijs tuis: gratias tibi ago ô fili Dei viui, Deus altissime, qui propter nimiam charitatem, qua me dilexisti, dignatus es implere omnia, quæ de te erant prophetata. Adiuua me obsecro, ut ego in bonum & non in malum impleam quæ de me prophetata sunt. Sic viuam, ut non moriar morte æterna, sed temporali mortuus tecum resurgam. Obsecro te ignosce, purifica & libera me à peccatis meis omnibus, per merita vitæ & passionis tuæ, recipere me in gratiam tuam qua me teneas, confirmes, dirigas atque possideas ad gloriam tuam & secundum æternum beneplacitum tuum, quo tibi coniunctus mundo totus moriar, tibi vero soli deinceps viuam & castissimo ferventissimoque amore inseparabiliter inhaeream. Amen.

§. 102. Surgite. Eamus. v. 42.

Non dicit: surgite & fugiamus, uti multi dixerunt, ante Iesum, & etiam post Iesum. Sed ait: surgite, eamus, quasi diceret: Surgite iam filij mei, surgite, eamus obuiam proditori & persecutoribus ut non timentes & latentes nos inueniant, ut cognoscant passionem meam omnino voluntariam. Eamus, brevis quidem vox, sed nulla fortior ad hanc diem unquam est audita. Fortitudo enim in arduis sponte subeundis tanto maior est,